



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniæ Agrippinæ, 1671

§. III. Corollarium præcedentis doctrinæ

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

Respondeo duplicem esse distinguendum motum in appetitu sensitivo, unum quo fertur in obiectum sibi proprium & conveniens, qui est quædam concupiscentia, seu appetitio boni sensibilis; alium quo movet membra ad operandum: licet autem in ordine ad primum motum plene & perfecte, seu despotice rationi non obediat, bene tamen quantum ad secundum, nisi forte iste alteri repugnet.

§. III.

Corollarium precedentis doctrinæ.

113. **E**X dictis in decursu hujus Tractatus habes, in processu agentis intellectualis, plures actus, sive intellectus, sive voluntatis reperiri, qui ad octo præcipuos possunt reduci. Primus est simplex volitio finis: de qua disp. 4. Secundus intentio, quæ est volitio efficax consecutionis finis: de qua disp. 8. Tertius consilium, quod non solum importat inquisitionem mediorum, sed etiam judicium seu sententiam, quæ unum cæteris esse præferendum judicatur, ut disput.

10. ostendimus. Quartus dicitur consensus, quo voluntas complaceat sibi de mediis inventis. & approbat illa, ut ibidem declaravimus. Quintus est electio, quæ voluntas acceptat unum præ aliis: de qua disp. 9. Sextus imperium, quo intellectus cum motione quadam, à præcedenti electione participata, intimat voluntati executionem mediorum. Septimus usus, quo voluntas applicat potentias exequentes ad opus, ut disp. 11. fusè monstravimus. Octavus est ipsius finis affectio, ex qua resultat quies seu delectatio, quæ fruitio appellatur: de qua disp. 7. Quinque primi actus pertinent ad ordinem intentionis, qui incipit à volitione & intentione finis, & terminatur ad electionem mediorum: tres vero ultimi spectant ad ordinem executionis, qui incipit ab imperio, & ad fruitionem terminatur.

Hos actus, ut sunt intra ordinem physicum, toto hoc Tractatu consideravimus: in sequenti de illis, ut ad ordinem moralem pertinent, & bonitatem vel malitiam moralem fundant, Deo favente, disseremus.



TRA-